Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Theologico-Philologica de Justo, Ut Palma, Germinante, Ut Cedrus In Libano, Crescente : ad Ps. XCII. v. 13

Burgo-Steinfurti: Apud Johannem Gerlacum Wellenberg, [1741?]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869672762

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869672762/phys_0001
DFG

393 a.B.
48.b.8.

Fa – 1092 (113)

Fa – 1092.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869672762/phys_0002
DFG

DISSERTATIO
THEOLOGICO-PHILOLOGICA
de
JUSTO, UT PALMA, GERMINANTE, UT CEDRUS IN LIBANO, CRESCENTE.
ad
Ps. XCII. v. 13.

Quam
Adspirante Deo Triuno
Placidæ Disquisitioni
Exercitii gratiâ submittent
PRÆSES.

CONRADUS IKENIUS,
Ecclesiæ Steinf. Past.
&
Respondens.
HENRICUS GERMANUS GEORGIUS IKENIUS,
Philos. & Philol. Stud.

d. 29. Junij. MDCCXLI.

BURGO-STEINFURTI,
Apud JOHANNEM GERLACUM WELLENBERG,
Aulæ & Illustris Arnoldini Typographum.

DOMINIS

de

MÆCENATIBUS

PATRONIS

FAUTORIBUS

ET

AMICIS.

Hæc Dissertatio

Sacra esto.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869672762/phys_0006
DFG

SECTIO I.

§. 1.

Psalmum, cujus comma illustrare cum maximè aggredior, in eorum esse numero, qui regnum Messiæ ejusque fata depingunt, talpâ cœcior sit, oportet, qui negare velit. Ipse, quem in fronte gerit, titulus, lectori attento id persuadet. Inscribitur enim: מזמור שיר ליום השבת *Cantilena cantûs diei Sabbathi.* Ridiculæ sunt, quas Judæi afferunt inscriptionis hujus rationes. *Canticum diei Sabbathi* appellari volunt, quoniam Adamus, quem die paraleeves primi Sabbathi creatum contendunt, postridie natalis ejus, i. e. primo Sabbatho, hoc ipsum carmen ad laudes creatoris sui decantandas, composuerit. V. Kimchi in præf. Psalm: R. Eliezer in Pirke cap. IX. aliique. Verùm dudùm hoc figmentum explodit Cel: van Til in præf: hujus psalmi. Nec enim Adamus in statu integritatis peccatores noverat; nec instrumentis musicis delectabatur, de quibus tamen psaltes noster cecinit; nec sabbathum ab ipso mundi exordio repetendum est, utpote, quod post exitum ex Ægypto institutum demùm esse, doctiores inter ipsos Judæos agnoscunt, & avitâ traditione sanciunt. Hinc toties in eorum scriptis legitur: באה הקבלה האומרת שבת ודינין במרה איפקוד *Venit traditio asserens, sabbathum & judicia in Marâ tradita*, uti videre est apud Joh. Seldenum de Jure Nat. & Gent. Lib. III. cap. IX. p. m. 326. & seqq.

§. 2.

Rectius multo inscriptionis hujus ratio in eo quæritur, quòd psalmus noster peculiarem ad diem sabbathi respectum habuerit. Cùm enim musica, quâ ille, *qui habitabat laudes*

Israelis, in æde Solymæâ quondam celebrabatur, ita adornata esset, ut unusquisque hebdomadis dies peculiarem sibi hymnum deposceret, Psalmus noster diei sabbathi proprius erat, ut in eo, unà cum sextâ parte cantici Mosis, quod legitur Deuter. xxxii. concineretur. V. Tamid. cap vii. m. 4. & Gemara Rosch haschanah fol. 31. fac. 2. Fusius hoc argumentum explicui in notis, quibus codicem Tamid illustratum, sub præsidio Clariss. & sine honoris titulo mihi nunquam nominandi Patrui, Conradi Ikenii, ante tres & quod excurrit annos in lucem emisi.

§. 3.

Jure hinc meritóque colligimus, ad tempus, quo Messias gloriosum in terris regnum erigeret, canticum nostrum referendum esse, sabbathum enim Paulus disertè illis rebus annumerat, quæ erant umbræ futurarum, quarum corpus in Christo est. Coloss. II. 16. 17. & typum gessisse, quietis, in diebus Messiæ olim exspectandæ, egregie probat Hebr. IV. Nec cogitandum, sine omni planè ratione illud sabbatho tam arctè fuisse alligatum, quin potius indè concludimus, agi in eo, de rebus, in diebus illis demùm futuris, quorum sabbathum typus erat, i. e. in diebus Messiæ. Ita Judæi ipsi hunc titulum explicant. Hinc postquam narraverant in Tamid l. c. *Sabbatho canebant cantilenam cantûs diei sabbathi*, subjungunt שכולו (נ' א לעולם) מזמור שיר לעתיד לבא ליום שבת ומנוחה לחיי עולמים: *Cantilena cantûs in futurum tempus, in diem (alii legunt in seculum) qui totus est sabbathum & quies ad vitam æternam.* Nec est, quod Cel: Rhenferdius cum quibusdam Judæorum contendat, in Vindiciis de seculo futuro §. 31. & seqq. per phrases has seculum illud (si modo seculi nomine æternitas venire possit) tantùm innui, quo æternum olim in cœlis celebrabimus sabbathum, quod *retributionis* Judæi aliàs vocare solent, tali enim explicationi psaltes ipse obloquitur. In futuro beatitatis statu, *de viro bruto & stolido, qui Dei opera non cognovit, & cogitationes ejus non intelligit* v. 6. 7. nullam conquerendi ansam habebimus, nec *improbi amplius florebunt*, v. 8. nec *inimici Dei* v. 10.

super-

supererunt, postquam omnes pessumdati fuerint. Undè ipse Kimchi post verba, *Tempus futurum, seculum, quod totum est sabbathum* addit: וזה ימי המשיח *Et hi sunt dies Messiæ.* Quæ verba à seriori demum manu esse addita, frustrà probare tentat Vir Clarissimus.

§. 4.

Quòd, si Psalmum ipsum accuratiori subjiciamus examini, novum pro stabiliendâ sententiâ nostrâ, argumentum nobis præbet versus 11. *Ut monocerotis (orygis) exaltas cornu meum, perfundor oleo recenti.* Quæ verba illustre de Messia continere vaticinium, nemo non videt, nisi qui volentes cœcutiunt. Notissimum sub quo in schola Hieroglyphicâ repræsentatur emblema, *Cornu* est, 2. Sam. XXII. 3. Psalm. XVIII. 3. *Cornu monocerotis* speciatim assimilatur, Deuter. XXXIII. 16. 17. & tota phrasis *elationis cornu*, fidelibus usitatissima est, quâ spem suam exprimunt, quam in gloriâ illâ, ad quam Messias exantlatis passionibus, olim evehendus esset, repositam habebant, Psalm. LXXXIX. 18. 25. CXLVIII. 14. coll. Lucæ, I. 69. Nec quarè à consuetâ phraseos significatione in h. l. recedere debeam, video. Nexus ei quam maximè favet: Laudes Dei sui sannunciatura Ecclesia, argumentum à diverso piorum atque impiorum statu petit; miseram improborum conditionem hucusque deploraverat; imminens ipsis exitium prædixerat v. 10. Vertit itaque orationem, atque prærogativas, quibus ipsa olim gavisura erat, ordine enumerat: *Cornu ejus exaltaret Jehovæ uti monocerotis*, quandò Messias, tranatis nubibus, in cœlum sublimis raperetur, thronum patris occuparet, atque novi regni sceptra capesseret. Varii inde, iique dulcissimi in Ecclesiam fructûs redundarent: (1) Ipsa ungenda oleo recenti, cum largior spiritûs (cujus frequens oleum emblema est) mensura in sinum ejus effunderetur, (2) Gratissimum illi spectaculum præberet, quòd tumultuantes ejus hostes penitùs interirent, v. 12. (3) Ipsa verò novis quotidie locupletata incrementis in canam usque vetustatem semper floreret,

v. 13. -- 16. Ità omnia satis benè cohærent, & eam quàm supra dedi v. 11. explicationem, totum orationis filum libenter admittit. Quapropter ùt ùt cæca aliàs sit Judæorum gens, hîc tamen remoto paulisper Mosis velo, Messiam per transennam quasi aspicit. Sic enim in Middrasch Thillim comma hoc explicatur: מה ראם זה קרנותיו גבוהות מכל הבהמה והוא מנגח לארבע רוחות שבשמים כך משיח בן דור מנגח לכל רוח וגו׳ *Quid unicornis hæc* (significat?) *Cornua ejus altà sunt præ omnibus animalibus, ipsaque cornu petit quatuor plagas cœli: Sic Messias filius Davidis ventilat omnem plagam, &c.* Hinc ultrò vides B. L. nos non sine ratione, canticum nostrum in eorum referre numerum, quæ Messiam ejusque regnum depingunt. Possemus plura addere, verùm hæc, ut opinor, sufficiunt, ad eam, quam proposui, sententiam stabiliendam.

§. 5.

Propiùs me determinare non audeo, nec ad certam dierum Messiæ periodum in explicatione textûs nostri me adstringo. Occurrunt quidem in hoc Psalmo phrases, præcipue vers. 11. quæ Cl. Franc. Burmannum permovere potuerunt, ut *ad initia regni Messiæ* illum referat, in Brevi omnium Psalmorum, in quibus nobis Messias repræsentatur, tabulâ, quæ inserta est Bibliothecæ Bremens. Class. VI. Fascicul. I. Verùm sunt iterùm aliæ, quæ ad ultima ejus tempora illum ablegant. Tunc enim perfectum ecclesia his in terris celebrabit sabbathum, Jes. LXV. LXVI. Tunc demùm plenos de hostibus suis aget triumphos v. 10. 12. coll. Apoc XIX. Tunc eam deget ætatem, quæ canitiem ipsi inductura est, v. 15. Quare mediam nos potius viam eligimus, & ad omnes Messiæ dies sine discrimine eum applicamus. Nostrum præsertim comma tam latæ est significationis, ut ad certum temporis articulum restringi semet non patiatur. Vix dùm Messias cœlos ascenderat, vix dùm spiritum indè demiserat v. 11. ecclesia Christi germinare atque pomœria sua extendere jam jam incipiebat, novaque semper germina e gremio suo emisit, atque ità perget usque

dum

dùm consummata fuerit. His itaque fundamenti loco, substratis, eâ, quam modo diximus ratione, ad propiorem commatis nostri explicationem nos accingimus.

Verba textûs sunt:

צדיק כתמר יפרח כארז בלבנון ישגה׃

Justus ut Palma germinabit, ut Cedrus in Libano crescet.

SECTIO II.

§. 1.

A. SUBJECTUM est צדיק, vox notior quàm ut explicatu indigeat. Descendit à radice צדק *Justus est, Recte egit*, denotatque adeò, ut cum Coccejo loquar, *Rectè agentem, Justum* i. e. talem, cujus actiones cum lege congruunt. Hunc sensum ipse Salomo vocabulo nostro tribuit Eccles. VII. 20. *Homo non est Justus in terrâ, qui faciat bonum & non peccet.* Quoniam verò talis accusatorum cavillationes ridet, & legis minas spernit, nec in judicio, ubi ad justitiæ lancem omnia ponderantur, causâ cadere potest, sed potiùs novum jus nanciscitur promissa legis postulandi; hinc judiciaria vox hæc facta est, eumque, qui in judicio justus renunciatur, denotat Deuter. XXV. 1. &c. Quomodo Rabbini eam explicent, legere est in Gem: Rosch haschanah fol. 16. fac. 2. כל אחד ואחד מבני אדם יש לו זכיות ועונות מי שזכיותיו יתירות על עונותיו צדיק ומי שעונותיו יתירות על זכיותיו רשע מחצה על מחצה בינוני *Unicuique filiorum Adami, sunt suæ virtutes & vitia, cui jus virtutes præponderant vitiis* justus *est, cujus vitia præponderant virtutibus* Improbus, *qui utrorumque dimidium possidet*, Intermedius *est*. Hinc tres illæ classes natæ, in quas mortales redigunt צדיקים גמורים *Perfectè Justorum* רשעים גמורים *Perfectè improborum* & בנוניים *Intermediorum*, de quibus fusè Gemara agit l. c. Quæ verò omnia auctoribus suis relinquimus.

§. 2.

Noſtrum potiùs erit inquirere, quis ſub hac voce in loco noſtro lateat? Totus penè interpretum chorus eam per *homines pios*, *cœtum fidelium* explicat, aſt in omnia alia abit Cl. Schlichterus, quandò in Decimis Sacris Obſ. XLIII. p. m. 366. & ſeqq. per juſtum noſtrum, *caput fidelium Meſſiam* ſpeciatim ſignificari demonſtrare annititur. Verùm licet Viri Clariſſimi eruditionem cæteroquin venerer, hactenùs tamen à me impetrare non potui, ut calculum ipſi hac in re adjicerem. Lubens libensque quidem fateor, Meſſiam eſſe unicum finem, ad quem omnes libri ſacri collineant, Joh v. 39. Luc XXIV. 44. & teſtimonium Jeſu eſſe Spiritum Prophetiæ, Apocal. XIX. 10. non autem idcircò in omnibus omnino S. Scripturæ verbis ejus perſona quærenda eſt, nam, uti optimè docet Iſidorus. Lib. II. Epiſt. 195. Τὰ μὴ εἰς αὐτὸν εἰρημένα ἐκβιαζόμενοι, καὶ τὰ ἀβιάστως εἰρημένα ὑποπτεύεσθαι παρασκευάζουσιν. *Qui ea quæ de ipſo non ſunt dicta, vi in ipſum intorquent, faciunt, ut ea, quæ minùs contortè dicta ſunt, in ſuſpicionem veniant.* Nec quia nova hæc ſententia, ideo ſuſpecta eſt, patronos jam habuit Judæos in Middraſch Thillim, Epiphanium in Phyſiologo, aliosque: Sunt autem ſcrupuli, qui, quominus in eam pedibus ire poſſim, impediunt. Permittat Clariſſimus Schlichterus, ut illos, eâ quâ par eſt erga Virum doctum obſervantiâ propoſam, gratiſſimum mihi erit, ſi removere eos voluerit;

§. 3.

Ut autem ordine procedamus, accuratus quæſtionis ſtatus prius ponendus eſt. Non quærimus itaque, an Meſſias cum fidelibus ſimul in hâc voce comprehendi poſſit, quoniam id, quod fidelibus accidit, certo reſpectu Meſſiæ ipſi contingere dici poteſt, quatenùs eſt caput ejusdem corporis, cujus fideles membra ſunt? Hoc enim eſſet inquirere, quid poſitâ jam vocis ſignificatione, per legitimam conſequentiam ex eâ poſſit elici, non verò determinare quænam

nam propria ipsius significatio sit. Quærimus potius: *An Psaltes, nominando vocabulum JUSTI, personam Messiæ speciatim, an vero fideles intellexerit?* Prius affirmat Cel. Schlichterus, nos verò negamus, sequentibus adducti argumentis:

(α) Manifesta est comma nostrum inter & versum 8. oppositio. Fragilem impiorum sortem v. 8. Psaltes prædixerat; operantibus iniquitatem exitium eorum intonuerat: *Improbi germinabunt sicut herba, & operantes iniquitatem florebunt, ut æternum perdantur.* Hisce beatam justorum opponit conditionem, prosperam, stabilemque eorum fortunam laudat, verbis commatis nostri: *Justus germinabit ut Palma, &c.* Quod si per *improbos & operantes iniquitatem*, non alii, quàm homines improbi, sive peccatores intelligendi sunt, (quod nemo unus negat) meritò secundùm regulas bonæ oppositionis concludimus, per *Justum* nostrum etiam homines pios sive fideles intelligendos esse. Permovit hoc argumentum magnum Coccejum, ne fideles planè ex hac voce excluderet, licèt eorum caput, Messiam simul involvere videatur, sic enim in hunc locum commentatus est: *Justus imprimis est Christus, de quo* Jes. LIII. 11. *sed & Justus vocatur, qui confitetur Deo & psallit nomini Altissimi, & indicat gratiam & veritatem ejus, i. e. fidelis, aliter enim ad propositum Psalmi non faceret; opponitur Improbis, v. 8. qui id non faciunt, qui justitiam ex fide non quærunt, qui sub damnatione sunt.*

(β) In commatibus sequentibus 14. - 16. de fidelibus agi, tàm clarum est, ac sol, si splendet in meridie, quando sudum est. Ipse Cl. Schlichterus id agnovit l.c. pag. 370. Quòd si itaque textum Psalmi accuratiori inspiciamus oculo, nimis arctum comma nostrum inter & sequentia invenimus nexum, quàm ut dirimere ea queamus. Enunciationis nostræ subjectum justus est, hoc proponit, felicemque ejus conditionem sub emblemate germinantis palmæ crescentisq; cedri repræsentat Psaltes v. 13. In eâdem oratione adhuc pergit, v. 14. 15. nec novum iterùm subjectum commatibus his substernit, sed, quam v. 13. proposuerat similitudinem, ulte-

ulterius explicat, quod abundè testatur, verba v. 14. 15. ad subjectum v. 13. referenda esse. Si itaque, teste ipso Schlichtero, v. 14. 15. de fidelibus sermo sit, per necessariam consequentiam indè elicimus, versum 13. etiam de fidelibus agere, quos invenire non possumus, nisi in voce Justus, quæ subjectum hujus commatis est. Consentientem habeo Pl. Rev. Ewald, qui Emblem. S. Lib. IV. Exerc. VI. p. m. 444 scribit: *An directè in loco Ps.* XCII. *Messias per Palmam indicetur, valdè dubito, quia commata seqq.* 14. - 16. *de fidelibus agunt, inque eorum descriptione ad qualitates Palmæ & Cedri alluditur, quod manifestum mihi indicium est, versum præced.* 13. *etiam de fidelibus esse intelligendum, quæ per comma* 14. - 16. *propius explicatur.*

(γ) Nec commodè emblema nostrum ad Messiam applicare possumus. *Causæ*, quidem ait Vir Erud. *ob quas Messias cum palma cedro que confertur, variæ esse possunt. Meo quidem judicio duplex præcipuè innuitur victoria, quam Dominus Messias, ex mortuis resuscitatus, Heros illustris, palmæ instar florens, & ut Cedrus in Libano crescens, valdè exaltatus, tùm in bello cum hostibus gesto, tùm in foro Patris, feliciter reportavit*, multúsque in eo est, ut ostendat: *Utriusque symbolum olim palmam gessisse.* Verùm licet hæc eruditè observata sint, rem tamen non conficiunt. De solâ Palmâ disputat V. Cl. nihil verò addit de Cedro. Nec quæ dicta sunt, emblema palmæ satis explicant. Victoriæ quidem signum apud veteres palma erat; sistuntur hinc, triumphatis hostibus, beati cœlites coràm throno & agno, palmas in manibus gerentes, Apoc. VII. 9. Nunquam autem victores ipsi palmis assimilantur, aut comparatio hominis cum palmâ victoriæ symbolum est. Multo minus id obtinet in loco nostro, quem si cogitatè pensitemus, videbimus, non palmæ & cedro justum generatim assimilari, sed florentem, atque amplam ipsius fortunam, cum τῷ germinare palmæ, & τῷ crescere cedri conferri. Quæ si ad Messiam, uti in scænam nostram prodit, transferre velis, non quadrat emblema hoc. Postquam enim ad gloriam e-

vectus, summum majestatis culmen ascendit, v. 11. germinare non potest dici nisi in electis, nec crescere amplius nisi in fidelibus. Quo te cunque itaque vertas, si ritè omnia explicare velis, ad fideles semper recurrendum est.

§. 4.

Nec argumenta, quibus sententiam suam probare tentat Vir Clar. tanto pollent robore, ut in ejus partes nos pertrahere potuerint. Quod in fronte collocat, est: *Quòd in commatibus proximè præcedentibus de Messia agatur.* De commate undecimo id quidem ipsimet Sect. I. §. 4. adstruximus, quomodo vero versum 12. ad Messiam referre velit, perspicere mihi quidem non datum est. Verùm esto, quòd & hoc comma de Messia explicari possit, an indè feliciter satis concludemus, etiam versum 13. & totam sequentem orationem necessariò de Messia agere? hoc nemo homo credo mihi facilè concedet, præcipuè si perpendat v. 13. novum nominari orationis subjectum, eumque, qui v. 12. de se ipso dixerat, *Aspiciet oculus meus insidiatores meos, de inimicis & maleficis audiunt aures meæ*; v. 13. in tertiâ personâ loqui: *Justus ut Palma germinabit, &c.* Nec procedit secundum: *Quod Messias satis diserte distinguatur à fidelibus, quorum flores & fructus vers. 14. 15. 16. demum celebrantur;* contrarium enim §. antecedenti lit. γ. evidenter satis, ut puto, demonstravi. Leviora sunt, quæ Vir Cl. tertio & quarto loco addit: *Messiam titulo Justi in S. Codice insigniri, eundem cum Palmâ, Cedro, aliisque arboribus non rarò comparari, denique de diebus Messiæ in hoc Psalmo agi.* Licèt enim Messias Justi nomine in verbo Prophetico veniat, & sub emblemate harum arborum aliquandò repræsentetur; inde tamen non sequitur, quotiescunque nomen Justi in S. Scripturâ occurrit, neminem, nisi Messiam innui, aut Palmam & Cedrum, nullius alius rei quàm Messiæ emblema esse. Nec, quia Psalmum nostrum ad dies Messiæ referimus, ideò Messiæ persona in singulis ejus verbis quærenda est. Facerent hæc ad illustrationem sententiæ propositæ, si prius ar-

 gumentis

gumentis exceptione majoribus probata esset, destructis verò illis ad eam lectori commendandam, minimè sola sufficiunt. Unum restat, quod imperitum Lectorem morari, &, quam modò impugnavimus, sententiæ favere videri possit. Quòd scilicet vox עדת in singulari numero hîc occurrat, cùm de improbis Psaltes versu 8. in plurali locutus sit. Verùm vocabulum hoc inter collectiva referendum esse, nemo nescit. Patet id luce clarius ex comm. 14. 15. ubi illi verbum plurale additur: Hujus generis nomina autem etiam in singulari multitudinem denotare, vel prætextatis est notissimum. Rationem talis mutationis reddit Aben Esra in Comment. ad. h. l. אמר רשעים שהם רבים וצדיק כי הם מעטים *Ait* (Psaltes) *IMPROBI, quoniam eorum multi, & JUSTUS, quoniam illorum pauci sunt.* Addimus: Quòd Impiorum in plurali numero mentionem faciat divinus vates, quoniam hi, ruptis omnium legum vinculis dispersi, suo quisque indulgent genio, &, sine capite, sine ordine, in omnia vitiorum genera proni sint, Justorum verò in singulari, quia illi arctissimâ fidei & charitatis copulâ juncti, unum corpus constituunt, cujus caput Christus est. Ephes. v. 23. Quòd, si hac ratione Messiam in voce nostrâ cum fidelibus contineri quis contendere velit, quoniam, si de corpore sermo est, etiam caput simul involvatur, non est, quod refragamur.

§. 5.

Hoc tamen non impedit, quominus receptæ subscribamus sententiæ, est enim manetque propria atque genuina vocis Justus in hoc loco significatio, quòd *homines pios*, speciatim cœtum fidelium, qui meliorem novi Fœderis œconomiam degunt, i. e. Ecclesiam N. J. denoter. Ad ea enim tempora canticum nostrum spectare, Sect. I. ulterius ostensum est. Nec insolitum, eos, in S. paginis justorum titulo insigniri, proprium potius ipsorum nomen est, quo in verbo Prophetico veniunt. Exempla habemus Psalmo I. 5. LXXII. 7. Jes. III. 10. LX. 21. &c. Minus re-

ctè

Etè tamen inde eliciunt, qui justitiam in operibus captare solent; quòd homo justitiâ aliquâ sibi inhærente adhuc polleat, aut fat virium ipsi natura concedat, ad legem Dei adimplendam: Talem enim, postquam Adami labes humanum genus polluit, inter ejus posteros frustrà quæsiveris, si Messiam, servum illum Dei justum, excipias, nam, *non est justus in terra neque unus*, Psalm. XIV. 3. coll. Rom. III. 10.-12. Aliam justitiam Sriptura nobis commendat, quâin judicio Dei comparere debemus, justitiam scilicet Christi, *qui, cùm peccatum non noverat, pro nobis factus est sacrificium pro peccato, ut fieremus in ipso justitia Dei.* 2. Corinth. v. 21. Atque hæc est illa justitia, quæ credentibus titulum justorum peperit. Justi enim nominantur: [1] Quia justitia Christi ipsis imputata, atque ab illis fide apprehensa est, ità, *ut in ipso inveniantur, non habentes amplius justitiam eorum, illam, quæ ex lege est, sed eam, quæ est per fidem Christi, justitiam quæ ex Deo est per fidem*, Philip. III. 9. Hinc toties *Justi ex fide*, audiunt, Habac. II. 4. coll. Rom. I. 17. III. X. &c. Ast cùm fides hæc mortua sit absque operibus, Jacob. II. 17. Justorum nomine decorantur [2] Quoniam justitiæ Christi participes facti, atque gratiâ spiritûs ejus suffulti, vitam ita instituere allaborant, ut actiones suas ad normam legis divinæ, quantum pote, dirigant. Cùm verò is denique justus appelletur, qui in judicio justè absolvitur, cuique legis promissa iterùm adjudicantur, vid. Sect. II. §. 1. etiam in hoc sensu [3] fideles justi vocantur. Cùm enim Christus, ipsorum loco, pœnas dederit, atque legis postulata adimpleverit, hæcque illis ità imputentur, ac si ipsimet ea fecissent & perpessi essent, quid restat, quàm, ut culpâ liberentur, ipsisque æterna beatitas iterùm recludatur? *Quis enim electos Dei accusabit? Deus est, qui justos pronunciat? Quis condemnabit? Christus est, qui mortuus est.* Rom. VIII. 33. 34. coll. Jes. LIV. 17. Plura non addo, ne repetendo, quæ in omnibus Theologiæ nostræ Systematibus fusiùs legi possunt, lectori nauseam, mihi operam creem. Ad sequentia potius commatis nostri verba propiùs lustranda, pergo.

§. 6.

B. PRÆDICATUM est: וכתמר יפרח כארז בלבנון ישגה:
Ut Palma germinabit, ut Cedrus in Libano crescet.

Elliptica, ut vides B. L. hæc locutio est, verba enim פרח & שגה post voces תמר & ארז בלבנון more, non Hebræis solùm sed & omnibus ferè populis usitatissimo, reticentur. Plenè si comma nostrum exprimere velles, dicendum esset: *Justus germinabit, ut Palma,* (germinat) *crescet ut Cedrus in Libano,* (crescit) Proximum itaque in explicatione nostra locum jure sibi poscerent voces פרח & שגה Sunt enim prædicata, quibúscum subjectum, quod modo excussimus, copulatur. Verùm quoniam ab arboribus in textu memoratis, mutuantur, ex naturâ harum arborum etiam optimè explicari poterunt. Quare emblema ipsum nobis priùs considerandum erit, quo sic, quid de Justo nostro hæ voces propriè prædicent, tanto melius innotescat. Emblema ipsum examinaturi, in arboretum deducimur, in quo duo præstantissimarum arborum genera perlustranda nobis Psaltes ob oculos ponit. Nostrum autem non est, naturæ vires scrutari, aut in singulas earum qualitates anxiè inquirere, deambulando tantùm illas contemplabimur, & quæ ad scopum nostrum faciunt, decerpemus. Prima, quæ nobis occurrit תמר est. Vox hæc omnium consensu *Palmam* denotat, undè verò nomen hoc defenderit, Eruditi dissentiunt. Quidam à מרה *Reniti*, alii à מרר *Amarum esse*, derivant. Rectissimè autem à radice, quam dives nobis Arabia superstitem servavit תָּמַר *tzamara Fructum tulit*, deducitur, hoc enim naturæ arboris optimè convenit, utpote quæ uberrimos fructûs fert, quos *Dactylos* rei naturalis scriptores appellant. *Memini*, ait Ursinus in Arboreto, loco mox citando, verbis Vesslingii, *Sic onustum fuisse dactylis suis unicum racemum, ut eum attollere à terrâ præ pondere vix sustineret.* Cæterùm plures sunt nobilissimæ hujus arboris qualitates

43.

litates, quàm, ut eas enumerare, aut accuratè illam depingere possim, non enim animus est, Persarum veterùm carmina repetere, quibus 360. ejus virtutes celebrabant, narrante Strabone Geogr. Lib. XVI. fol. 511. Prolixiorem ejus descriptionem dabunt, præter Plinium, Theophrastum, Dodonæum, Olaus Celsius, Prof. Upsal, qui varias de Palma exercitationes conscripsit, Kæmpferus in Amœnitatibus Exoticis, Fascic. IV. Ursinus in Arboreto, Sect. IV. Cap. XLI. alii.

§. 7.

Moras hîc nobis nectunt Patres quidam & Interpretes, qui, mirâ metamorphosi, arborem nostram in avem mutarunt, pro Palmâ Phœnicem substituentes. Ità Tertullianus de Resurrectione, cap. XIII. apud Ursinum Anal. S. Lib II. cap. 3. *Illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsum libenter funerans renovat, natali sine decedens atque succedens iterùm Phœnix. Ubi jam nemo, iterùm ipse, qui non jam, alius idem. Quid expressius atque signatius in hanc causam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam scripturis suis:* Et florebit enim, *inquit* velut Phœnix, *i. e. de morte, de funere, uti credas de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse. Multis passeribus antistare nos Dominus pronunciavit, si non & Phœnicibus, nihil magnum, sed homines semel interibunt, avibus Arabiæ de resurrectione securis?* Consentientem habet Epiphanium in Physiologo, & Auctorem, quisquis etiam fuerit, versionis Italicæ veteris, aliosque. Imposuit piis Patribus, illisque, qui eorum vestigia legerunt, nomen Φοῖνιξ, per quod Alexandrini vocem תמר reddiderunt, quod Palmam & Phœnicem significat; si modo mira illa avis unquam exstitisset, quod credat Judæus Apella, non ego. Quæ in Patrum, Judæorum, aliorumque auctorum scriptis de eâ leguntur, congessit Texelius in Libro, cui titulus: Phœnix visus & auditus, & Joh. Phil. Pfeifferus in Diss. de Phœnice ave, habitâ

bitâ Regiomonti 1673. Eleganter admodum depinxit illam Ovidius Metam. Lib. XV. v. 392. & seqq.

Una est, quæ reparet, seque ipsa reseminet ales
Assyrii Phœnica vocant, nec fruge neque herbis,
Sed thuris lacrymis, & succo vivit amomi.
Hæc ubi quinque suæ complevit secula vitæ,
Ilicis in ramis, tremulæve cacumine Palmæ
Unguibus, & pando nidum sibi construit ore.
Quo simul & casias & nardi lenis aristas
Quassaque cum fulvâ substravit cinnama myrrhâ,
Se super imponit, finitque in odoribus ævum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
Corpore de patrio parvum Phœnica renasci. &c.

Verùm fabulosa hæc esse, aut, si mavis Hieroglyphica, diligentissimi naturæ ruspatores jam dudùm agnoverunt, atque egregiè probavit Incompar: Bochartus in Hierozoico, Part. Post. Lib. VI. cap. V. p. m. 817. & seqq. & ex professo, quem citat, Christianus Schottanus in Heptaëmero Diatrib. XIII. Ut adeò mirari satis non possim magnum literarum Apollinem Illust. Scaligerum harum fabularum causam agere, & *Phœnicem non penitùs fabulosam* pronunciare potuisse. Ego, si quid video, natales ejus nostræ arbori deberi, atque ea quæ de Palmâ in Veterum Scriptis leguntur, figmento huic ansam dedisse, autumo. [1] Longæva Palmæ vita apud omnes Auctores decantata est; Aristoteles Μακρόβ καὶ βραχυβ cap. IV. Ὅλως δὲ τὰ μακρόβιώτατα ἐν τοῖς φυτοῖς ἐστιν οἷος ὁ φοῖνιξ, *Omnino longævæ inter plantas sunt, qualis Palma.* Hinc temporis symbolum in scholis Ægyptiorum Hieroglyphicis facta est, vid. Pier. Valer. Hieroglyph. L. I, p. 535. [2] In summo Palmæ vertice medulla invenitur, quam delicatiores in cibum petebant, hanc *Cerebrum* Latini, Græci Ἐγκέφαλον dicebant, vid. Muretus Var. Lect. Lib. XIII. 12. & Rainesius Var. Lect.

Lect. Lib. II. 9. Denique [3] mori & renasci ex se ipsâ, Palmam narrat Plinius Hist. Nat. Lib. XIII. cap. 4. *Quod ut ab incolis creditum, in causâ est loci fertilitas, ex quâ factum aliquandò, ut ex cadente surculo vel palmulâ, altera palma in prope deficientis locum pullulaverit*, uti ait modò laudatus Bochartus loc. cit. p. 821. Atque hæc ferè eadem sunt, quæ de Phœnice traduntur. Uti itaque Poetarum quævis fingendi licentia verisimas, imò sacras historias mendacibus fabularum involucris involvit, & ex rebus vulgo non admodum cognitis, licèt naturalibus, maxima sæpe portenta conflavit, ita ex iis, quas modò citavimus, de Palmâ narrationibus, portentosam nostram avem natam esse, nulli dubitamus. Ipse Plinius tale quid odoratus est, unde *Phœnicem avem ex hujus Palmæ* (de certâ palmarum specie locutus erat) *argumento nomen accepisse putari*, ait loc. cit. Adstipulatur Vir omni elegantioris doctrinæ genere refertus Johan. Baptista Ottius in Epist. de Nummis Samarit. ad Cl. Relandum datâ, atque hujus Dissert. insertâ, scribens: *Unde etiam* (de Palmâ sermo fuerat) *seu veræ, seu fabulosæ avi apud priscos & Ecclesiasticos scriptores decantatæ, Phœnici suum nomen.* Sed è diverticulo in viam. Quicquid eâ de re sit, saltem in nostro loco, Phœnix locum invenire non potest. Quæ Psaltes cecinit, arbori, non avi conveniunt. Malè enim hæc cum Cedro conjungeretur, malè diceretur: *Plantata in domo Jehovæ, in atriis Dei nostri germinans.* v. 14. Nec dubitandum, divinum vatem ad versum 8. iterùm respicere, quem inter & comma nostrum oppositionem esse, in antecedentibus ostendimus, ibi verò non de ave, sed de herbâ sermo est. Denique Phœnicem non admittit prædicatum פרח, ad cujus illustrationem nunc pedem promovemus.

§. 8.

Verbum פרח, pro variis, in quibus occurrit, circumstantiis, variè à scriptoribus usurpatur: *Florere, Germinare, Volare, Dilapidare*, significat. Me quod attinet, singulas radices

radices Hebræas, unam tantùm significationem generalem habere, ex quâ specialiores derivari possunt, & à Clarissimis Præceptoribus edoctus sum, & indies magis comperio. Examinato itaque vario hujus verbi usu, consultisque linguæ Hebrææ sororibus, prima atque generalis ejus notio mihi est: *Ex se aliquid prodere, de se quid emittere.* Ex hoc fonte reliquæ significationes omnes rivulorum instar, promanant. Hinc (1) pro *rebus, aut animalibus sobolem edentibus*, usurpatur. Si de avibus occurrit, *pullos excludere*, si de arboribus legitur, *pullulare*, denotat. Posteriori sensu in S. Scripturâ frequentius, priori, rarius venit, ast apud Arabes uterque vulgaris atque communis est: פרחא *Parrachâ*, ipsis significat, *Fœtificavit*, *Pullos genuit*, *vel habuit avis*, item, *Pullulavit*, *in propagines diffindi cœpit planta*, unde nomen *Pirchon*, *Pullus avis*, & *Pullulus arboris* (uti Cato loquitur & Plinius) i. e. *Germen.* Hinc (2) per metaphoram transfertur ad ulcus, quod pustulas ex se protrudit, Exod. IX. 9. 10. Levit. XIII. passim, quoniam quod pullulans germen seu gemma in arbore, id in cute pustula est. Commodè etiam (3) ex generali hac notione derivatur significatio *Volandi*, quam Chaldæi imprimis & Rabbini amant, avis enim volans, *de se quid emittit*, nimirum alas, quas volando, expandit. Nec difficile intellectu est, quare Syrus (4) pro Græco Διασπορπίζειν *dispergere*, *dilapidare*, vocem nostram substituat, Luc. XVI. 1. quid enim est dispergere, quam de se quid projicere, quæ primigenia iterum verbi nostri notio est. Vides itaque B. L. quod omnes modo dictæ significationes, sint quasi totidem filiæ, quæ ex generali, quam supra dedimus, verbi nostri notione, velut è communi earum matre proveniunt. Singulas curatius non excutimus, ne extra oleas vagemur, inquiramus potius, quid verbum nostrum, de arboribus usurpatum, propriè denotet? Generalem nostram significationem si consulimus, פרח diceretur arbor, quæ *de se quid prodit*, sive flores, sive germina, sive fructûs sint, quod *Pullulare* Latini dicunt. A Scriptoribus

ribus S. autem pro *germinare* plerúmque, non verò *florere* adhibetur. Hinc de ficu, quæ nullos emittit flores, legitur Habac. III. 17. & à גיץ *florere*, distinguitur, Numer. XVII. 23. Quam significationem in explicando loco nostro etiam avidè arripimus, illam enim Palma nostra lubentissimè admittit, imò postulat: Φασὶ γὰρ τῶν φοινίκων τὸν μὲν ἄῤῥενα ἀνθεῖν, τὴν δὲ θῆλυν οὐκ ἀνθεῖν, ἀλλ' εὐθὺς προφαίνειν τὸν κάρπον. *Dicunt enim Palmarum marem quidem florere, fœminam verò non florere, sed statim fructum proferre* Vid. Theophrast in Histor. Plant. Lib. I. cap. XXII. in fine, cont. Plinius Hist. Nat. Lib. XIII. cap. 4. Quid? quòd, aptius verbum, ad germinationem Palmæ uno vocabulo exprimendam, inveniri non potuisset. Primò enim tenellum emittit ramulum, quem Σπάθην Græci, Latini *Palmitem*, nominant, ex eo prodit dein involucrum quoddam, in quo fructûs reconduntur, qui, cùm se involucrum expandit, ex eo proveniunt, tanquam ex gremio matris, uti pluribus docet Joh. Bodæus à Stapel in notis ad Theophrasti l. c. pag. 104. & seqq. Verùm de Palmâ satis ad secundam arborum nobis propositarum speciem contemplandam pergimus.

§. 9.

Vox אר Hebræis totum coniferarum arborum genus denotat, hinc alii 7. alii 10. alii 24. מינים אורים species enumerant, Vid. Buxtorf Lex. Majus in voce אר & Ursinus Arboret. cap. XIX. sect. 2. in initio. Scriptores S. verò per nomen אר præstantissimam aliquam harum arborum speciem indicant, quam *Cedrum* majorem rei naturalis indagatores appellant. Saltem in eo, quem cùm maximè tractamus, loco, non aliam intelligendam esse, docet natale solum, quod nostræ assignatur, Libanus mons Syriæ, in iis enim regionibus majorem solam conspici, ex Bellonio tradit Joh. Bodæus in not. ad Theophrasti Histor. Plant. Lib. III. cap. 12. p. m. 197. Accuratè admodum eam depinxit Dodonæus Herb. Part. IV. Lib. XXX. cap. 17. *Major Cedrus magna admodum*

modùm & procera arbor, non modò cæteras resiniferas ac coniferas excedens, sed & reliquas arbores omnes vastâ amplitudine superans: Caudex ejus frequenter admodùm crassus est, ut quatuor hominum ulnæ eum amplecti, auctore Theophrasto, nequeant. Cortex inferioris partis, quæ à terrâ ad primos porrigitur ramos, asperior est, reliquus verò lævis & glaber, inter ramos conspicuus. Rami ab imo ferè & haud altè à terrâ ad fastigium usque exeunt, paulatim altiúsve scandendo minores, breviores que facti, arbore Pyramidis formam referente. Orbiculariter autem hi candicem ambiunt, talique alterno ordine dispositi sunt, ut per hos ad cacumen usque veluti per scalas conscendi queat. Folia capillata, veluti pini, sed breviora ac minimè aculeata. Coni multo breviores sunt, & crassiores, quam abietis, mollibus, non duris squammis compacti, qui non deorsum pendent sed sursum arrecti in ramis consistunt, quibus & adeò pertinaciter adhærent, ut citrà particulam rami avelli nequeant. Plura de hac arbore invenies apud Theophrastum l. c. Lib. III. cap. 17. Ursinum l. c. aliosque, citatos Cl. Lampio in Dissert. de Cedro, insertâ ejus Dissert. Theologico-Philologicis, quas post mortem Viri Beati ex Mss. maximam partem cum erudito orbe communicavit Cl. Gerdes, insigne cùm maximè Academiæ Groninganæ decus. De etymo spicilegii loco, quædam addemus, quoniam de eo inter viros doctos non convenit. Martinius apud Lampium §. 2. à רזה deducit, quod *extenuare, emaciare*, denotat, quoniam Cedrus arbor *gracilis* & *procera* est. Verùm *Proceritatis* notio in verbo רזה non continetur, *Gracilitati* autem repugnat testimonium Theophrasti, scribentis: Τηλικαῦτα ἐστὶν ὥς ἔνια μὲν μὴ δύνασθαι τρεῖς ἄνδρας περιλαμβάνειν *Tantæ sunt, ut quasdam ne quidem tres viri complecti possint.* Hist. Plant. Lib. v. cap. 9. aliorumque. *Si conjecturis novam addere conjecturam licet*, ait ipse Lampius, *fortè obsoleta radix* ארז *designavit, robustum, validum esse. Apud Arabes saltem* ארז *firmum, stabilem designat, unde & robustum Camelum* ארז *dicunt, &* מורז *asylum appellant.* Imo radicem ipsam nobis Arabes

asservarunt

13.

asservarunt, ארז ipsis *Firmum*, *stabile esse*, significat, hinc & ipsi Cedrum *Arzon* dicunt, quod purum putum Hebræorum ארז est, si terminationem Arabicam tantùm demas. Ex hoc fonte idcircò vocem nostram jam derivarunt, Majus in supplem. ad Cocceji Lexicon, & Kromayerus de Usu Linguæ Arabicæ Lib. II. cap. 40. p. m. 218. Nec immeritò, Cedrus enim contrà procellarum furores stabili mole immota non solùm consistit, sed & ligni Cedrini durities celebrata est, utpote quod nec cariem, nec vetustatem sentit. V. Dodonæus, Theophrastus, & pluribus Cel. Lampius Dissert. cit. §. 21. Physicam hujus rei causam reddit Joh. Bodæus in notis ad Theophrastum l. c. Lib. v. cap. 10. p. 544. Quæritur, cur Cedrus, coniferæque arbores, nec cariem, nec vetustatem sentiant? Causa videtur, quod omnia insecta pinguedo suffocat, cavitatesque lignorum quasi bitumine conglutinat, quo minus aër meatûs subire, & interiora corrumpere possit. Ut ità eodem jure Hebræi Cedrum à firmitate ארז dicant, quo Latini certam quercûs speciem, à duritie Robur nominant.

§. 10.

Non autem communis & ubique obvia Cedrus est, sub cujus emblemate Psaltes Ecclesiam repræsentat, præstantissimas omnium elegit, quandò speciatim mentionem facit, Cedrorum, quæ crescunt in Libano. Est hic *decantatus ille Syriæ, aut si mavis, Phœniciæ mons, qui terræ promissæ fines à septentrione claudit, nam a tergo Sidonis ortus, versus Orientem ad Damascum tendens, 1500. stadiis, teste Plinio* (Hist. Nat. Lib. v. cap. 20.) *hoc est* 187000. *passuum, ad Smyrnam & Palmyrenam usque regionem porrigitur*, referente Adrichomio in Theatro Terræ S. p. m. 110. Pluribus de hoc monte egerunt, præter illos, qui orientem peragrarunt, Relandus in Palestinâ, Heidmannus in Palestinâ p. 187. & seqq. P. V. S. in Biblioth. Brem. Class. III. Fascic. v. p. 864. & seqq. aliique. Nomen singulorum

consensu à *Candore* accepit, לבן enim toti ferè Orienti *candidum esse*, significat. Causa est, quòd

una pruinâ
Candentis, quacunque datur promittere visûs,
Ingeritur facies,

uti de Alpibus canit Sil. Ital. Lib. III. Oritur hoc ex perpetuis nivibus, quibus Libanus tegitur. *In ipsius etenim summitatibus, ac præcipuè quæ Cæsareæ Philippi imminent, (nam ibi se altiorem Libanus tollit) nullo non anni tempore, etiam mediâ æstate, cùm ferventissimi calores ibidem esse solent, frigidissimæ nives inveniuntur, quæ indè sub paleis, nè nimio cœli æstu liquescant, conservatæ, per duorum vel plurium dierum iter in circumjacentes urbes, ut vinum suâ commixtione refrigerent, deferuntur*, uti narrat Adrichomius l. c. Hinc Tacitus Annal. Lib. v. ait: *Judæa præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum, fidumque nivibus.* Consentiunt Hieronymus in Comment. ad Jerem. XVIII. 14. Maundrell in Itinerario p. 179. Radzivill, qui mense Junio in hoc monte fuit, in Peregrin. Hierosol. Rauwolff, qui mediâ æstate has regiones visitavit, in Itiner p. 273. Solus la Roque in Itiner. Syriæ & montis Libani, quod Gallicè prodiit, Tom. I. p 89. dicit: Quòd nix Libani mense Aprili incipiat liquescere, & in Julio non amplius inveniatur, nisi in quibusdam fissuris montis, ad quas solis radii penetrare non potuissent. Verùm ex totâ la Roquii narratione apparet, ejus auctorem summum Libani verticem non ascendisse, sed inferiores tantùm ejus partes lustrasse, in quibus nix, ardore solis liquefacta, æstivo tempore quidem deficit, cùm interim altiora montis juga eâ nunquam liberentur. Tantum itaque ejus Testimonium nobis non est, ut idcircò reliquis omnibus fidem denegemus, præsertim, cùm Itinerarium, quod ejus nomen præfert, solummodò ediderit, illius verò auctor sit Eques d' Arvieux, uti docemur in Histor. Univers. à Societate doctorum Anglorum conscriptâ, & in Belgicum sermonem nuper translatâ

latâ, à Corn. Westerbaan, Part. II. Lib. I. cap. V. p. 222. Sed hæc in transitu. Celebris quondam fuit hic mons, Cedrorum, quas alebat, copiâ atque præstantiâ Τὸ ὄρος τοῦτο πλῆρες ἦσι, ξύλων καὶ Κεδρίνων καὶ Κυπαρίσσων θαυμασῶν τὸ κάλλος καὶ μέγεθος: *Mons iste refertus est Cedris & Cupressis mira pulchritudinis & granditatis*, scribit de Libano Diod. Siculus Lib. XIX. cap. 58. vid. Lampius l. c. §. XI. Hinc Scriptura toties *Cedrorum Libani* meminit, Jud. IX. 15. 1. Reg. IV. 33. Ezech. XXVII. 5. &c. Qui nostro, & præterito seculo has oras peragrarunt, narrant, quòd majorum paucas, minorum verò magnam copiam ibi viderint. V. la Roque, Maundrell, Rauwolff, aliique.

§. 10.

Restat ultimo loco considerandum verbum שנה, quicum Cedrus nostra copulatur. Quantum ex paucis, quæ ad manûs sunt, subsidiis colligere licet, *Multiplicandi* notione illud proprie pollet. Docemur id in Michlol Jophi fol. 192. f. 1. ubi ad vocem ישנה ità commentatur Salomon ben Melech. יגדל ויפרח ועל רוב הגדול אמר ישגה שהוא ענין הרבוי כמו שניא כח וכן תרגום רב שניא: *Crescet & germinabit, & propter multitudinem magnam, ait* ישגה *Hoc enim multitudinis significationem habet, uti* שניא כח *multus robore* (Jobi XXXVII. 23.) *quapropter etiam Targum* שניא *reddit* רב. Consentiunt Alexandrini, qui Πληθυνθήσεται vertunt, & Arabs, qui וכתורו *Vajactzuru* transtulit, כתרא enim Arabibus *multum fuit*, denotat, unde *Catzraton multitudo* est. Denique significationi huic Scriptura ipsa favet V. Jobi VIII. 7. Psalm. LXXIII. 12. &c. Ut adeò arbor dicatur שנה quæ, multis locupletata ramis se latè diffundit, quod *crescere in latitudinem* Columellæ est, de arboribus cap. 17. Plura fortè ad illustrationem hujus verbi lingua Arabica suppeditat, quoniam verò monumentis Arabicis cùm maximè destituor, non quæ volui, sed quæ potui, dedi. Aptius interim verbum ad naturam Cedri exprimendam, reperiri iterùm vix potuisset.

Arbor hæc non altissima solùm est, sed & multis ornata ramis, se latè extendit. Amplam ejus speciem Scriptura S. laudat, Ezech. xxxi. 3. - 6. prædicant naturæ Scrutatores V. Dodonæus loc. citat. alique, confirmant Periegetæ. Majorum una quam vidit Eques d' Arvieux frondibus suis circulum 120. circitèr pedum formabat. Nec minor fuit illa, quam Maundrell mensus est, quæ ramis suis spatium 111. pedum explebat, uti ambo narrant locis supra citatis. Atque hæc ad verborum nostrorum explanationem sufficiant. Superest, ut fracto putamine, nucleum apponamus, & latentem sub emblemate nostro sensum altiùs indagemus, cui conamini sectio sequens III. destinata erit.

SECTIO III.

§. 1.

Viam nobis in antecedentibus stravimus, quâ nunc facilius progredi possumus ad investigandum, quid propriè de Ecclesiâ N. F. vaticinetur Psaltes, quandò dicit, quòd *germinabit & crescet*. In memoriam tantùm Tibi revoca, B.L. genuinam verborum Hæbraicorum, quam suprà docuimus, significationem, & videbis, egregium in his verbis contineri præsagium, de quotidiano atque multimodo Ecclesiæ hujus incremento, laxâque ejus amplitudine. Quòd novam indies sobolem olim editura, cujus numerus valdè multiplicandus esset, innuit verbum נוב vid. sect. II. §. 8. Quòd semetipsam longè latéque diffusura, atque pomœria sua super totum, quâ patet, terrarum orbem dilatatura sit, dicit verbum שגה conf. §. anteced. Utrumque eleganter exprimit Sedulius Lib. IV.

At Justus Palmæ similis florebit amœnæ
Semper habens frondes, & tanquam Libana Cedrus
Multiplicandus adest, & vertice sydera tangit.

Conspirant Prophetæ Jer. xxxiii, 22. Jes. xlix. 18. - 23. liv.

LIV. I. 3. & seqq. Quod, ut tanto elegantius atque nervosius proponat divinus vates, germinantis Palmæ, crescentisque Cedri emblemate utitur, harumque arborum incremento gliscentem Ecclesiæ statum assimilat, adhibitâ particulâ כ quæ proprium apud Hebræos similitudinis signum est. Prolixè hoc probare, Athenis esset noctuas inferre, cùm exempla ubique obvia sint, quare hac operâ meritò supersedemus. Emblema ipsum interim apprimè congruens est, ad fortunata hæc Ecclesiæ fata depingendum, Palma enim nova semper, eaque quàm plurima protrudit germina, Cedrus verò in multos dispersa ramos, se latè expandit, uti in antecedentibus visum est. Hinc sæpius Ecclesia sub emblemate harum arborum venit. De Cedro id docuit Beatus Lampius in Dist. cit. §. XXVII. & seqq. De Palmâ Plur. Rev. Ewald Emblem. S. Lib. IV. Exerc. VI. Longum foret ire per singula, atque omnes enumerare convenientias, quæ germinantem Palmam, crescentemque Cedrum, jucundum Ecclesiæ temet multiplicantis emblema faciunt. Otium nobis fecerunt, qui Emblemata ex professo illustrarunt, Ruimigius & d' Outrein, quorum posterior in Emblem. linguâ Belgicâ editis p. m. 151. & seqq. locum nostrum diligentissimè excussit, ad quos lectorem, nè actum agamus, remittimus.

§. 2.

Causam, quare arbores hæ in emblemate nostro conjungantur, Judæi sollicitè investigant, illamque se invenisse putant in Babha Bathra fol. 8. f. 2. Locus multis jam adductus est, quapropter versionem tantùm exhibemus è Comment. Wagenseilii ad Sota pag. 736. *Eleganter disseruit R. Chaja Lulianides, ante fores Archisynagogi: Quare dicitur,* (Ps. XCII. 13.) *Justus ut Palma germinabit, ut Cedrus in Libano crescet? Nam si cum Palmâ facere volebat Scriptura comparationem, quare adjicitur etiam Cedrus? Aut, si cum Cedro comparationem facere volebat, quare additur Palma? Scilicet, si cum solâ Cedro, exclusâ Palmâ instituta fuisset comparatio,*

ratio, cogitare poteram: *Sicut Cedrus fructûs nullos edit, ità & homo pius fructûs non edit, ad hoc igitur præcavendum, injiciur quoque Palmæ mentio.* Pariter, *si solius Palmæ sine Cedro instituta fuisset comparatio, cogitare poteram: Sicut Palma abscissa non repullulat, ita Justus succisus non repullulat* (id est, mortuus non reviviscet, aut cadens non resurget,) *Ad hoc igitur præcavendum injicitur etiam Cedri mentio.* Sed erratis boni magistri, & supinam vestram in scientiâ naturali proditis ignorantiam. (1) Non omnis Cedrus sterilis est: Majorem, quæ in Libano crescit, cujusque Scriptura plerúmque meminit, fructu non carere, ex ipsâ Scripturâ discimus, vid. Ezech. XVII. 23. Consentiunt solertissimi naturæ indagatores. Fructum hujus Cedri describit Theophrastus in Hist. Plant. Lib. III. cap. 12. Κάρπος τῆς κέδρου ξανθὸς, μύρτου μέγεθος ἔχων, ἐυώδης, ἡδὺς ἐσθίεσθαι. *Fructus Cedri è flavo ruber est, magnitudinem Myrti habens, odoratus, esuque suavis.* Conf. Dioscorides Lib. V. cap. 45. & la Roque in Itinerario Syriæ & montis Libani l. c. Nec consentaneum est (2) quod, *Palma solâ abscissâ, non repullulet*, nam & hoc de Cedro Scriptores prædicant. Plinius Hist. Nat. Lib. XVII. cap. 24. ait. *Similem & decacuminatio rationem habet, Cupressi, Pini, Cedri, hi enim, detracto cacumine, aut ignibus adusto, intereunt.* Testem habet Theophrastum Hist. Plant. Lib. IV. cap 19. in initio: Ἡ δὲ καλουμένη ἐπικοπὴ τῶν δένδρων, μόνον Πεύκης, Ἐλάτης, Πίτυος, Φοίνικος, εἰ δὲ καὶ κέδρου καὶ Κυπαρίσσου. *Decacuminatio, quam vocant arborum, tantum Pino, Abieti, Piceæ, Palmæque propria est, quidam verò & Cedro & Cupresso eam adscribunt.* Conf. Idem de Causis Plant Lib. V. cap. 23. 24. ubi quid Ἐπικοπὴ sit, explicat: Καλοῦσι δ' ἐπικοπὴν, ὅταν ἀφαιρεθείσης τῆς κόμης, ἐπισκόψῃ τὸ ἄκρον. *Decacuminationem vocant, cùm detractâ comâ, arboris extremitas præciditur.* Veriora, & quæ magis ad rem faciunt, sunt verba Eusebii ad h. l. in Catenâ Corderii, adducta quidem Cl. Lampio Dissert. cit. § XXVII. digna tamen,

men, ut repetentur: *Cùm Palma multifarium fructum ferat, & Cedrus, quæ in Libano est, multos ramos, multasque radices habeat, jure meritò cum istiusmodi arboribus virum justum comparavit, quòd in genere virtutum fructibus abundet, atque diversis doctrinis veritatis, secundùm quas nimirùm cum Palmâ confertur. Quin & propter firmitatem & in bonis securitatem, Cedro, quæ in Libano est, assimilatur. Imputribilis enim ac densissima est Cedrus; Palma verò semper viget, & cor sursùm vergens habet. Porrò Justus quoque instar Cedri plurimos ramos habet, cùm plurimi per ipsum salvi fiant.*

§. 3.

Explanatius adhùc definire hæc poterimus, si prius indagatum fuerit: Quare Palmæ potissimum & Cedri, in loco nostro mentio fiat? Sunt enim & aliæ arbores, quæ largè & copiosè germinant, sunt aliæ, quæ ramos suos latè projiciunt. Nec cogitandum, fortuitò, aut sine omni planè ratione, Psalten has speciatim arbores præ aliis elegisse, nam hoc à spiritûs sapientiâ alienum est, cùm *nè apex in Scripturis sit, ex quo non montes pendeant*, ut Judæi proverbii loco, dicunt. Hanc verò quæstionem, ut tantò felicius excutiamus, observemus(1): Quòd Judæa celebris quondam Palmarum fuerit patria. Undè *Idumen Palmiferam* laudat Sil. Ital. lib. III. v. 600. & *Palmas, Idumæas* vocat Virgil. Georg. Lib. III. v. 12. Consentit Plinius Hist. Nat. Lib. XIII. cap. 4. scribens: *Judæa verò inclyta vel magis Palmis est.* Hinc Palma peculiare Judææ symbolum facta est, vid. Hieroglyphica suffixa Pier. Valer. Lib. II. cap. 39. p. m. 760. Ipsi Judæi dicunt כפות תמרים אלו ישראל *Rami Palmarum sunt Israelitæ*, in Rabboht fol. 163. Videmus idcircò in nummis Vespasiani triumphalibus, quibus victoriæ, de Judæis reportatæ, memoria æternitati consecrata est, Palmam cusam & sub eâ mulierem, sinistra sua, ut videtur, fata deplorantem, cum inscriptione: JUDAEA CAPTA. Vid. Spanhemius, Vaillant, Liebe, aliique qui rem nummariam illustrarunt

lustrarunt. Nitidissimè hos nummos expressit Wagenseilius in Comm. ad Sotam p. 1084. atque itàde iis judicat Waserus: *In postremo nummo observet Lector, Palmam effictam esse, (& sic in Titi nummis passim illam videre est, cum eâdem inscriptione* JUD. CAPT.) *tanquam Judææ Hieroglyphicon, Judæa enim Palmetis tota fuit consita.* de Nummis Lib. II. cap. IV. §. 3. 5. Huc & referendus Nervæ Cocceji nummus, qui in unâ facie imaginem Imperatoris, in alterâ solam Palmam habet, cum inscriptione: FISCI JUDAICI CALUMNIA SUBLATA. vid Waserus l. c. aliique. Testem denique habeo, monumentorum, quæ prisca nobis ætas reliquit, Interpretem felicissimum Cl. Relandum in Diss. I. de Nummis Samarit. ad Virum Spectatiss. Jacobum de Wilde, qui non minori curâ, quam sumptu augustam antiquitatis supellectilem sibi quondam acquisiverat, p. 5. *De inscriptione illius faciei, quæ imaginem Palmæ dactyliferæ (vulgatum illud Palæstinæ symbolum, quod Tu è numismatibus tuis optimè nosti) circumdat, primò disputabimus.* Atque hæc de Palmâ. De Cedris Libani notandum (2): Quòd Libanus, mons Syriæ adeòque extrà Judææ limites situs, frequens in Sacris *Paganismi* symbolum sit: Undè Sponsus, Ecclesiam è Gentibus excitaturus, ut in ejus castra transeat, ità eam affatur: *Mecum è Libano, mecum è Libano veni, ô sponsa, contemplare ex Amani vertice, è vertice Senir & Hermon, è castris Leonum, è montibus Pardorum*, Cant. IV. 8. quâ ratione hunc locum rectissimè explicamus, præeunte Tertulliano contra Marc. Lib. IV. cap. II. aliisque, conf. Jes. XXIX. 17. &l. Pulchrè idcirco Anonymus incit. Catená apud Lampium l. c. §. XXVIII. qui tamen Cedros minus rectè etiam steriles pronunciat: Εἰ καὶ τῶν ἐθνῶν ὁ Λίβανος, διὰ τὴν ἀκαρπίαν τῶν κέδρων χαρακτῆρ ὑπάρχει καὶ σύμβολον, ἀλλ' ὅμως καὶ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ἡ τῦ θεῦ δικαιοσύνη πληθύνεται. Πολλοὶ μὲν γὰρ Προφῆται, πολλοὶ δὲ Πατριάρχαι, καὶ ἕτεροι Θεοφόροι καὶ δίκαιοι ἐκ τῦ Ισραὴλ γεγόνασιν; ἀλλ' ἐπλεόνασαν τὸν τῶτων ἀριθμὸν οἱ ἐκ τῶν ἐθνῶν ἀναδειχθέντες μάρτυρες

μάρτυρες ἐν τοῖς πλήθος ἡ τῦ Θεῦ δικαιοσύνη προέκοψεν. *Etsi Libanus propter Cedrorum sterilitatem, Gentium nota symbolumque sit, attamen in Gentibus quoque Dei Justitia multiplicatur. Multi siquidem Prophetæ, plurimique Patriarchæ, atque alii Probi & justi ex Israële orti sunt, sed eorum numerum auxerunt Martyres, qui ex Gentibus prodierunt, in quibus Dei Justitia in multitudinem excrevit.* Atque hinc Cedri Libani jucundum, inter alia, Gentium, earumque Regum ac Principum speciatim emblema gerunt. Huc refero verba Psaltis, Ps. XXIX. 5. de stupendâ verbi Evangelii efficaciâ canentis: *Vox Jehovæ frangit Cedros, franget Jehova Cedros in Libano.* conf. 2. Reg. XIX. 23. Jes. XIV. 8. Amos. II. 9. Ezech. XXXI. toto, jam animadvertes, credo, B. L. quæ nobis videatur subesse ratio, quare Palmæ sigillatim & Cedri vates mentionem faciat; jam intelliges, quare arbores has inter se mutuò junxerit; Gliscentem nimirùm Ecclesiæ N. F. statum laudaturus, eam Palmæ, perpetuo Judææ symbolo comparat, atque huic Cedrum, tritum illud Gentium emblema jungit, ut ità tacitè doceret, omne populorum discrimen ex Ecclesiâ hac eliminandum, illamque communem Gentium æquè ac Judæorum matrem futuram fore. conf. Gen. IX. 27. Jes. XIV. 1. 2. XLIX. 6. Zach VIII. 20. 23. Eò verisimilior mihi videtur, hæc ratio quo exactius orationis scopo respondet, atque amplam Ecclesiæ conditionem, quam Psaltes celebrandam sibi sumserat, magis extollit. Ad multimodum incrementùm, laxamq; ejus amplitudinem augendum, necessariò requirebatur, ut Gentes ad castra ejus adducerentur, & cum Judæis in unam societatem coirent, quamdiu enim Deus Salemi tantùm tentorium suum, & in Zione habitaculum erexerat, Ecclesia solitaria adhuc erat & Canaanis limitibus circumscripta. Ex felici igitur hoc Judæorum cum Gentibus connubio, numerosa illa soboles demùm procreanda, quæ multitudine suâ totum terrarum orbem inundaret, de quâ Psaltes in loco nostro vaticinatur, qui à Judæis idcirco & Gentibus emblema suum mutuatus est. Atque hæc sunt, quæ mihi, conjunctionis harum arborum causam

causam indaganti, in mentem venerunt, si fortè Lectori arriserint, habeo, de quo mihi gratulor, si verò alicui minus placeant, tradat is veriora, atque erudiri me libenter patiar.

§. 4.

Supereſt, ut coronidis loco, verbum de vaticinii noſtri complemento ſubjungam. Vix dùm Eccleſia melioris œconomiæ plantata, vix dùm rore Spiritûs S. madefacta erat, cùm Judæi & Gentes in mutua fœdera juncti Chriſto catervatim nomen dabant. Gal. III 28. Epheſ. II. 13.-18. Coloſſ. III. 11. Dùm Petri præconium tria hominum millia uno die lucratur, Act. II. 41. Paulus indè ab Hieroſolymis ad Illyricum usque omnia Evangelio ſuo complet. Rom. XV. 19. & Dominus ſalvandos quotidiè Eccleſiæ addit, Act. II. 47. Quæ, cùm ità multis modis augebatur, poſt breve temporis ſpatium in omnes mundi plagas pomœria ſua jam extenderat, novisque indies locupletata incrementis, magis magisque ea ſemper dilatavit, adeò ut ſuper totum, quâ patet, terrarum orbem, ſe cùm maximè diffuderit. Plenam autem ejus conſummationem ad ultima mundi tempora Deus reſervavit, quandò plenitudo Gentium intrabit & totus Iſraël ſervabitur, Rom. XI. 25. 26. tunc Dominus Rex erit ſuper totam terram, & in die illo Jehova unicus & nomen ejus erit unicum, Zach. XIV. 9. Quæ beata tempora, cum creaturâ gemebundâ nos etiam anxiè anhelamus, Deumque interìm indefeſſis veneramur precibus, ut propediem adimplere velit, quod Eccleſiæ promiſit, Jeſ. LX. 20.-22. *Totus populus tuus JUSTUS erit, & terram hæreditario jure æternum poſſidebit, eſt enim ſurculus, plantationum mearum, opus manuum mearum, ad laudem meam. Ex minimo mille, & ex parvo pullulabit Gens valida. Ego Jehova accelerabo illud ſuo tempore.*

TANTUM.

ANNEXA.

JEphtam votum suum cogitatè concepisse credimus.

2. Filiam tamen illum immolasse negamus.

3. Sententia, quæ motum Terræ circà Solem urget, contrà Jos. X. 12. non repugnat.

4. Samuel à Pythonissâ Endoreâ Saulo ostensus non est.

5. Qui radices Hebræas ex Linguâ Arabicâ restituunt, in S. Scripturam minimè sunt injurii.

6. Literæ, quas Samaritanas vocant, non sunt peculiares literæ, sed Hebrææ, ductibus quibusdam tantùm ornatæ.

7. Verba, quæ à Grammaticis, Quiescentia tertiâ He vulgò nominantur, non sunt verè talia.

8. Per Angelum, Christum, in Gethsemane, corroborantem Lucæ XXII. 43. commodè Spiritus S. intelligitur.

9. Judæos, sub finem mundi, in terram Canaan reducendos credimus.

10. Templum tamen III. terrestre frustrà exspectant.

11. Nimis arguta est quæstio: Num Deus potuerit aliâ viâ peccatorem ad sui communionem iterùm

adducere, quàm quidem per filium ſuum.

12. *Totum dogma de S. Cænâ, prout in Scholis Reformatorum traditur, defendendum ſuſcipimus.*

Index.

1.) Segelken de Marah, ad Exod. 15, 22–25.
2.) Nonnen de Lepra edium mysterio. Lev. 14, 34. ad fin.
3.) Schleyermacherus de Blasphemi mysterio, ad historiam Lev. 24, 10-fin.
4.) Hackmannus de Chemosho, Moabitarum Idolo. Num. 21, 29. Jud. 11, 24. 2 Reg. 11, 7. 33. &c.
5.) Wagner de Homicidâ involuntario exulante in urbe ref. usq ad mortem Pont. M. Num. 35. Deut. 19. 4/10.
6.) Keßlerus, de Promulgatione Benedictionum & Imprecationū e montib. Garizim & Ebal. Deut. 11 & 27. Jos. 8, 30/1.
7.) Klotz de Aschnuene ejusq in Ruperm Salutis sua delicto, ad Deut. 32, 15.
8.) Kulenkamp de Nisroch, Idolo Assyriorum. 2 Reg. 19, 37. & Esaiæ 37, 38.
9.) Henius de Chemarim ad 2. Reg. 23, 5. Hos. 10, 5. & Zephan. 1, 4.
10.) de Cuijper de Promissionib, quas Elephazus Jobo offert. Job. 22, 24. 25.
11.) Henius de Rivis fluvii, urbem Dei & habitacula Altissimi lætificantib. ad Ps. 46, 5.
12.) Erp-Brookhausen Specimen Exegeseos sacræ pro explicando Ps. L.
13.) Henius de Justo, ut Palma germinante, ut Cedrus in Libano crescente ad Ps. 92, 13.
14.) Rhodius de Excubiis Patrum exspectantium Mare N. T. ad Ps. 130, 6.
15.) Dreyer ad Locum Ps. CXXXII, 17.
16.) Kriemoet de jucundâ Fratrum Concordiâ ad Ps. CXXXIII.
17.) Lampe de Pruinâ ab altari sumtâ ad Es. 6, 6.
18.) Henius de Gravitatum Israelis subactione & peccatorum in profundissimū mare projectione ad Mich. 7, 19
Bauer de Ænigmate Prophetæ Zacharia Cap. IX, 17. (Vid Tom. I. ad Bibl. N. T. ad hoc sign. **)
19.) Henius de Anathemate quo Deus, ob Messiæ manifestati rejectionem, terram percussit Malach. 4, 6.
20.) —— de Finib. Terræ promissæ hujusq successivâ occupatione.
21.) Rhodig de Noviluniorum ap. Hebræos sacris. Num. X, 10. XXVIII, 11–15. &c.
22.) Büsing de Tubis Hebræorum argenteis. Num X, 1. &c. Pars I.
23.) —— —— —— —— —— —— —— Pars II.
24.) Brünings de Sacrificiis Eucharisticis. Lev. III &c.
25.) Hackmann de Duob. Panibus Pentecostalib. Lev. XXIII, 17. Pars I.
26.) —— —— —— —— —— —— —— Pars II.
27. Hanke de Oblatione Thuris, fertis jungi solita. (N3 Diss. de Mysterio Thuris V. Tom. V. ad B. V. T. n. 49)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869672762/phys_0037
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn869672762/phys_0040
DFG

facierum dabant. His autem teſtimonium
allatum, quo *igni holocauſtorum* thus hoc
ſerit minimè repugnat; ille enim non lo-
mpli ſecundi, ſed de altari tabernaculi, in
diſtinctio locum habuiſſe non videtur;
clive eſt cogitare, JOSEPHUM omnem
em ita vocare, quoniam is ejus uſus ad
pe holocauſta præcipuus erat, unde ip-
holocauſti dictum fuit, vid. RELAND. *de*
pl. Rev. IKEN *ad Tamid.* locum cit.

§. XVI.

hæc injectio thuris in ignem non manu, *Ejus circumſtantiæ.*
ut diſertè docet MAIMON. *in Maaſe. Hak-*
ומתנו על גבי האישים מכלי שרת .
(pugillum nempe ferti cum thure) *in*
vaſe miniſterii. Deinde requirebatur, ut,
omnes oblationes interdiu fieri debebant,
Maaſe. Hakkorb. cap. IV. §. 1. etiam thus
deretur, idque ipſo die quo adductum eſ-
, ſequente enim demum die illud adolere
Judæi cenſent, & excidii pœnam huic cri-
MENACH. Cap. I. m. 3. unde nec Thus
onis additum, extra Sabbathum quo illud
e menſa tollebatur igni dare, vel etiam alio
ad hanc menſam inferre licuit, vid. ME-
quia hoc ex illis operibus erat quæ, ut Ju-
nt Sabbathum, id eſt non obſtante Sabbathi
uerunt. Tandem ante omnia quoque omne
mpe pugillus, vel in panibus propoſitionis
ferto cruſtulorum Pontificis Max. dimidius
erò veſperi in ignem mitti, neque vel mi-
lios uſus converti debuit. Quod privum
m ſolum ex omnibus oblationibus, ita uti oblatum
ebuit, v. MAIM. *in Maaſ Hakkorb.* Cap. XVI.
lationis thuris nihil addimus, cùm illud idem